



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicæ

Schnorrenberg, Anno

Coloniae, 1740

LXXVII. Rationi congruit, ut succedat in onere, qui substituitur in honore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62040](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62040)

quia est solus bonorum Ecclesiae administrator, eidem per malam administrationem obesse nequit, ita ut proprio facto contravenire, & propriam allegandoturpidinem rem male alienam Juramento non obstante vindicare possit. *Gloss. in cap. 1. de integr. refut. in 6. V. contractum.* ita etiam quia Capitulares sunt solum cum Prælato Ecclesiae administratores, eidem suo delicto nocere non possunt, per Reg. 76. & Reg. 22. *Non debet aliquis alterius odio prægravari.*

(K) Et si etiam sub memorata conditione collata si Ecclesiae electoralis di-

gnitas, Jus tamen electorale Ecclesiae innocentij plenè quæsum ob Elec-toris defectum non est auferendum per Reg. 76. sed

Quæres. Titius fundavit anniversarium in Ecclesia Regulari sub condicione: ut si Religiosi anniversarium non servent, fundatio ad Ecclesiam parochiale transferatur. An anniversarium, Religiosis illud non servantibus, transferendum?

R^e. Affirmative. Quia Ecclesiae regulari non absolute, sed sub condicione; si servetur anniversarium, est acquisita fundatio.



REGULA LXXVII.

Rationi congruit, ut succedat in onere, qui substituitur in honore.

Quæres primo. Quis hujus Regulae sensus?

R^e. Qui in dignitate aut in alio honorifico succedit munere, eum quoque in onere & connexis obligationibus decet succedere, juxta illud Gregorianum: Cum honoris augmento cura quoque sollicitudinis debet accrescere, ut cultui vestium actionis ornamenta convenient. *Can. rationis. 9. dist. 100.*

Quæres secundo. Quæ Regulæ sunt Exempla?

R^e. Sunt imo. Filii vel heredes Patroni, quia in Jurispatronatus succidunt honore, eos etiam in onere defendendi Ecclesiam succedere oportet. *Can. filius. 31. can. 16. q. 7.* 2d^o. Prælatus sicut in honore, sic quoque succedit in onere solvendi prædecessoris sui debita, pro Ecclesiae utilitate contracta. *Cap. 1. de solution. ibi:* *Sicut filius debita Patris solvere tenetur, ita Prelatus sui prædecessoris, pro Ecclesia necessitate contracta.*

A a 3

R E-